

pite 43. quæ tandem, breui epologo, quantum A  
valere debeant, concludit. Multa, inquit, dicimus, & deficiemus in verbis: consummatio autem  
verborum ipse est in omnibus gloriantes ad quid  
valebimus? ipse enim omnipotens super omnia ope-  
ra sua. Est vero eiusmodi contemplatio ita no-  
bis à natura inrita, vt si qui in ea se exercere vo-  
luerint, quod est ingeniorum curriculum præ-  
stantissimum, & non nihil sopitos naturalis lu-  
minis igniculis suscitare, tametsi fidei præsidio  
destituti, tamen non obscuram diuinæ maiesta-  
tis significationem percipere sint. Hoc ipsum  
manifestè ostendit Philo libro de præmiis &  
pœnis. Introgasti enim, inquit, in hunc mun-  
dum, velut benè constitutam Rempub. & cons-  
picatî campos montesque plenos segetibus,  
atque arboribus frugiferis, variisque generibus  
animantium: & hos rigari stagnis, annibus, ac  
torrentibus, afflari. Ventis aurisque, miro tem-  
peramento quatuor annuarum vicissitudinum,  
præterque hæc omnia, Solem, Lunam, errati-  
ca fixæque sidera, vniuersamque cæli militiam  
obcurrentem ordine mirifico hunc mundum, di-  
ctum verò nomine: tracti admiratione cepe-  
runt cogitare, tam benè ornatas, ordinatæque  
res non moueri temerè: vnde necessarîo colligebant,  
eas ab aliquo mundi opifice regi magna prouidentia.  
Nam lex naturæ iubet opificem operis sui curam gerere.  
Verùm hi diuini-  
ores ceteris, ab inferis progressi sunt ad su-  
pera, quasi per quasdam cælestes scalas, ratio-  
nibus probabilibus tendentes ad ipsum opifi-  
cem. Hactenus Philo. Porro hoc contempla-  
tionis genus Affirmatiua simul & Negatiua, vt  
aiunt, Theologia perficitur: huicque, omne  
quod vsquam est, inferuit: scientiæ item, & ar-  
tes omnes famulantur, segetem nata est am-  
plissimam.

Scientia &  
artes cõtem-  
plationi an-  
cillantur.

Obliquus  
motus ex-  
plicatur.

Philo lib. de  
præmiis &  
pœnis.

Verùm de prima hactenus. Illam excipit al-  
tera species contemplationis numero quidem  
posterior, merito autem ac dignitate longè  
præstantior. Ea obliquo motu constare dic-  
tur, id est, ex vtroque recto, ac circulari com-  
posita. Hæc autem felicioribus, vt ita dicam,  
auspicatis Deum inuestigat, & ad eum remis-  
sisque contendit. Non enim iam solo natu-  
ræ ductu, quo in genere multas difficultates pa-  
timur, per ipsa opera Dei vestigiis insistit; sed  
cùm sit præterea diuino quodam lumine col-  
lustrata, eundem certius atque facilius ratioci-  
nando inuenit. Qua parte igitur adhuc metho-  
dum seruat, & in cælestia mysteria via ac ra-  
tione inquiri, cum recto motu consentit; at  
ex altera, qua diuinæ gratiæ fulgore collucet,  
ad circularem motum magis accedit. Ad hanc  
autem cùm primùm introducitur, tum noua  
quædam lux oriri videtur, quæ obductam men-  
tibus nostris caliginem discuit, rebus autem  
tantam claritatem affert, vt multa quæ prius  
latebant, non sine admiratione elucescant.  
Huius tanti beneficij icionem nobis ad viuum  
Philo depingit his verbis: nam post hunc, per  
naturæ benignitatem prædictum genuinis doti-  
bus, tertium sequitur (quem nos secundum  
dicimus) ille absolutus mediator, cui præ-  
mium eximium, videre Deum contigit, vide-

re autem eo modo quo subdit. Expertus enim  
omnia, quæ humana vitæ fert, & in his omni-  
bus verlatus non obiter, laboribus nullis vi-  
tatis, nec periculis, si quo pacto posset opta-  
tam veritatem assequi, apud mortale genus  
multam inuenit caliginem; terra & mari, per  
aërem ac æthera: Nam in æthere, atque adeo  
toto cælo, noctis vidit quandam imaginem:  
quandoquidem tota sensibilis natura infinita  
est, quicquid autem infinitum est, cognatio-  
nem propinquam habet cum tenebris. Itaque  
prima ætate conuenientibus oculis animæ, præ  
continuis laboribus, vix eos potuit diducere,  
vt per offusam caliginem cerneret: sed repen-  
te affulsit ei purior splendor incorporeus ex  
æthere, & aperuit gubernari mundum intelli-  
gibilem. Verùm is gubernator, circumfusus  
luce purissimâ, nec videri, nec palpari facile  
poterat, radiis visum hebetantibus. Reditit ta-  
men vir egregius contra tantam vim igneam  
immenso amore videndi percitus. Quam ge-  
nerosam cupiditatem animaduertens pater, mi-  
seratusque, addidit rebus visui, nec inuidit sui  
cernendi copiam, quantum humana natura ca-  
pax fuit eius spectaculi, videlicet, vt sciret esse  
Deum, non quis sit etiam: Nam is & bonita-  
te ipsa melior, & vnitæ antiquior & syncer-  
rior, non potest spectari à quoquam alio.  
Ideo ipsi solis est à seipso percipi. Hæc Phi-  
lo narrat de Moyse, qui non solus in exem-  
plum adduci potuit, sed vnâ Prophetæ omnes,  
& Apostoli, quos *Sancti* appellamus, &  
quotquot à Spiritu sancto eruditi, multa eo  
authore didicerunt, quæ nec summis ingenijs,  
nec maximis studiis inueniri potuissent. Pos-  
tremo, quantum voluptatem, quamque syn-  
ceram ea contemplatio habeat, non facile dixe-  
rim. Rîsum vocauit Scriptura Isaac, quod eius  
lætitie typum quandam præ se ferret. Cùm  
enim Deus scientias, inquit Philo, sine præ-  
ceptore cælestis impluit, impossibile est am-  
plius delectari ancillis, & concubinis artibus, &  
teneri desiderio tanquam filiorum dogmatum  
illegitimum. Habet enim in promptu per-  
fecta dona Dei inspirata per illas antiquas gra-  
tias, quæ sibi optat perpetua.]

Ad tertiam accedamus. Ea circulari motu  
describitur. Is verò est, qui paribus vtrîmque  
spatiis, rotundo ambitu, medium aliquod pun-  
ctum, quod centrum vocant, circulat. Cen-  
trum autem contemplationis animæ Deus est:  
in quem, vt perfectè circumferatur, duo qua-  
dam requiri videntur. Primum, vt à rebus alijs  
animum auocet, à quibus olim consuevit con-  
templationis initium capessere: quoniam ea  
multiplici varietate contextæ sunt. Deinde, vt  
ab ipso ratiocinandi vsu absteineat, quoniam  
multa inter se confrens, non aliter quàm per  
obliquos argumentorum flexus, tanquam la-  
byrintho veritatem educit. His namque vale-  
re iussis, simul & naturalium rerum colluui-  
ne deterfa, cùm Deum instar oculi mens vi-  
deat: si deinceps moueri dicenda est, in orbem  
moueri dicitur. Huiusmodi enim mentis con-  
templatio, neque ob inæquabilem obiectorum  
differentiam, neque ob ancipitem ratiocinandi

Deus à seipso  
tantum per-  
fectè compre-  
henditur.

Magnâ vo-  
luptatem af-  
fert ea con-  
templatio.

Philo lib. de  
congressu  
quarund.  
erud. gratia.

Circularis  
motus de-  
scribitur.

Cõtemplatio  
has alia à  
Deo omnia  
abligat, &  
ratiocinandi  
usum com-  
pescit.